



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput II. De Charitate ipsius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

CAPUT I.

De Humilitate secundi Prioris.

Humilitas illius ex eo elucet, quod, cum torqueretur, suspiria verbis suis jungere consuevit; hic etiam quamvis præelectus Prior fuerit, Laicorum tamen lectos ipsis absentibus occulto modo sternere & ornare solitus fuit. Et ut breviter summam humilitatis ejus tangam, omnibus sibi subjectis norma & exemplar veræ humilitatis existit.

CAPUT II.

De Charitate ipsius.

De Charitate ejus præcipua quædam dicere ac scriptis mandare censeo opportunum. Dum enim in Novitiatu suo longo tempore infirmitate validâ laboraret, ac modica spes reconvallescentiæ affulgeret, in hæc verba prorumpens ait. Dilecti fratres, si bonum vobis visum fuerit, ut propter gravem meam infirmitatem sanctum habitum exuam, audacter hoc facere non cessetis, nec ego de vobis quidquam repetere volo ex omnibus his, quæ per ingressum meum huc introducta sunt Monasterio, contentus namque ero in hoc, quod griseâ indutus tunicâ diebus vitæ meæ vobiscum maneam in vestra domo. Et dum pius Dominus eundem de lecto ægritudinis, quam tempore sui Novitiatus perpeffus fuit, ad pristinam reduxit sanitatem, licet in naturalibus viribus suis satis tener modicusque exstiterit, tamen propter regnum cælorum vim sibi faciens gravioribus laboribus (prout loci necessitas exigebat) sæpius insudabat, ac se ipsum cohibendo multoties ultra vires laborabat: vidi & ego eum quadam vice circa graves labores in tantum exhaustum viribus, ut crustam panis à Priore ad refocillationem suæ naturæ peteret sibi dari.